



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm  
Eloqventiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

LIV. Parænesis ad laudem Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

bira humilitate, simplicitate, & sinceritate Deo semper etiam in adversis gratias agant, imò certa tempora quotidie sibi describant, quib⁹ Deo gratias agere consuescant, cùm nulla hora sit, nullum momentum, quo non beneficio Dei utamur.

*LIV. PARÆNESIS AD LAVDATIOnem, seu laudem Dei.*

**E**XORDIUM, iis de rebus apud ingenuos Adolescentes crebrius tractandum est, quæ ad hujus vitæ curriculum felicius decurrentum conductunt, quæq; non mediocriter nobis in ea lucta servire possunt, quam cum infernissimis hostibus nostræ salutis nullo non tempore gerimus.

**PROPOSITIO:** Inter illa cùm non in postremis sit collocanda laudatio divina, te Auditores ad eam invitaturum.

**CONFIRMAT.** I. *Locus, ab excellentia & dignitate divina laudationis*, quæ inde pater PRIMÒ, quod sit primarius actus virtutis Religionis, quæ principatum obtinet inter omnes virtutes morales, eð quod propinquius, quam aliæ, respiciat Deum. *Nam Deum laudare est*, ut ait S. Chrysost. amplissimas Dei virtutes enarrare & deprecicare, ut illius bonitas maiestasq; mortalibus innotescat, utque ab omnibus divinus ipsi cultus deferatur: ideoque quotidie in Oratione Dominica dicimus: *Sanctificetur nomen tuum.* Quantumcunque enim ab homine Angelove instituatur laudatio, longè impar & inferior est excellentia & majestate Dei, teste Syr. cap. 43. v. 31. SECUNDÒ, Quia Spiritus Sanct. hunc laudationis cultum non obscure prærulit omnibus Veteris Testamenti Sacrificiis, Psalm. 49. v. 9. Psal. 115. v. 17. Psal. 68. v. 31. TERTIÒ, quia propria Angelorum, omniumque Beatorum, in omnem aeternitatem Deum collaudantium: quos spiritu plenus Rex David Psal. 148. hortatur

ad

ad laudandum Deum, ut quod agunt, agere per-  
gant. S. Aug. putat Angelis præceptum, ut Deum  
continenter laudent: quia cum David dixisset:  
*Laudate eum omnes Angeli eius*, subdit: *præceptum*  
*posuit, & non præteribit.*

*Ps. 20. v. 12.  
116.  
Psal. 144.*

II. à necessitate laudandi & extollendi divini Nomi-  
nis, quam satis ostendunt crebræ Divinæ Scri-  
pturæ formulæ præceptis expressæ, maximè in  
Psalmis. *Amplifica hoc à Minori: In Scripturatum à*  
*Psalte Regio, tum à Babiloniis pueris, tum ab aliis,*  
*etiam rationis & sensus expertes creaturæ provo-*  
*cantur ad laudandum Deum: (non quod ipsæ vel*  
*corde, vellingua, vel factis vel vita sancta Deum*  
*benedicant & glorifificant; sed quod sua pulchritu-*  
*dine, ordine & numero testentur Conditoris sui*  
*potentiam & majestatem, acita ad agnoscendum*  
*verum Deum colendumque inflammat:)* multo  
ergo magis homo ad laudes illas adstringitur.

*Turpe enim fuerit, inquit S. Chrysost. ut homo, qui* *In Ps. 120.*  
*est compos rationis, & omnibus, qua videntur, præstan-*  
*tior, sit creatura in laudibus inferior: non solum autem*  
*turpe, verum etiam absurdum. Quomodo autem non ab-*  
*surdum, siquidem ipsa quotidie atq[ue] adeò singulis horis*  
*emitit Domino glorificationem. Cœli enim inquit,* *Ps. 13. v. 1,*  
*enarrant gloriam Dei, &c.*

Adhæc eadem Scriptura docet nos, ob præteri-  
ta, præsentia, & futura Dei beneficia, omnia debe- *Apo. 4. v. 10*  
re Deo. Cum Regius Psaltes Psal. 148. hortatus es-  
set & Angelos & homines, & cœlos ad laudandum  
Deū, causam subjicit: *quia ipse dixit & facta sunt, &c.*  
cum Psalm. 135. omnia ferè beneficia collata Vere-  
ris Testamenti Patribus recensentur, vicies sexi- *Vide Dicem*  
*peccatorum*  
es repetit: *Quoniam in aeternum misericordia ejus.* *P. Lud. Grä*  
Hic licebit excurrere in enumerationem & com- *In Psa. 144.*  
mendationem præcipuorum Dei beneficiorum,  
quæ si quis singula, ut inquit S. Chrysost. enumeret  
*Psal. 15. v. 2.*  
*incidet*

*Psi.144.v.1.* incidet in ineffabile beneficiorum pelagus, videbitq;  
*Psi.34.v.28.* quoniam nominibus sit Deo obnoxius.

III. ab utilitate laudum divinarum, quam id attestatur, quod Deus non exigat a nobis laudes ullas, nisi ob commodum nostrum: ipse enim, ut loquitur David, bonorum nostrorum non eget.

In PERORATIONE monebis Auditores, ut amore Dei inflammati, perpetuè laudent Deum cum Davide, qui dixit: Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, ut laudent eum in omnibus prosperis & adversis, beneficiis & pœnis, & ut, cum non possunt Deum laudare verbis & factis, vitaque sancta, laudare saltem voluntate & corde conentur.

#### LV. ENCOMIVM HVMILITATIS.

**E**XORDIUM ducatur ab illustri hac sententia S. Augustini; Sicut, ait, Rhetor ille nobilissimus, cum interrogatus esset, quid ei primum videretur in Eloquentia præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse: cum quereretur quid secundo, eandem pronuntiationem, quid tertio nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ Religionis nihil me aliud respondere, nisi humilitatem liberet, et si forte alia dicere necessitas cogeret.

PROPOSITIO: Te igitur Auditoribus in memoriam revocaturum, quanta sit virtus humilitatis, idq; eo libentius, quod non dubites eos huius virtutis esse alumnos & cultores.

*Matt.5.v.3.* I. CONFIRM. Locus, sit præstantia & dignitas *Ca.11.v.29.* huius virtutis, quam inde cognoscimus, quod *Hier.epi.29.* Christus cœlestem suam doctrinā in monte discipulistraditā, ab ea exorsus sit, & quod illius solius & mansuetudinis professus sit se esse doctorem. Hinc enim veteres Patres humilitatem faciunt propriam & primam Christianorum virtutem.

II. eius-